

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

menta administramus, & exercemus omnes actus publicos, sic volente Electore, ad præscriptum Ordinationis, ut vocant, ecclesiasticæ, quæ sub Electore Ottone Heinricho in usu fuit, & per omnia Wirtembergicæ responderet. Multos baptizavimus infantes, multis nuptiis benediximus, Cœnam semel celebravimus, præmissis aliquot, de hac materia concionibus: comunicantes sese nobis adjunxerunt 169. Expectantur ad proximam communionem plures.

Remota est à nostro templo mensa Calvinistarum, & adornata nova, formam aræ referens, & in locum aræ, ad quam Dn. Flinnerus administravit, reposita. Vasis utimur sacris, & pane azymo, Amberga nobis missis. Ecclesia nostra non decrevit, sed novæ quotidie accessiones fiunt: Dominus uberiora incrementa largiatur.

In aliis duabus ecclesiis, quas Calvinistæ adhuc, indulgente Electore tenent, & tertia quoque peregrinorum, nihil adhuc mutatum est, sed nec in schola: Et differtur reformatio ad Electoris reditum.

An, & quas, alibi sibi sedes Professores Theologi quærant, me later: neminem horum nec compellavi nec vidi, neque illi me: Hærent tamen adhuc Haydelbergæ omnes. Tostanus hisce diebus cum Electorissa vidua, Lorbacum, sedem viduitatis ipsius concessit: incertum, an permanurus sit.

De negotio concordiæ, cum jam aliquot menses domo absim, nihil certi scribere licet. Antequam vero abirem, jam aliquot principum judicia & censura, Electori Saxonie transmissa erant, & ea quidem non malè respondentia. Scio etiam, Electorem Palatinum ad communem tractationem, suscepti hujus negotii, ascitum, & rem E. C. curæ & cordi esse. Nostrum est, conjungere nostra vota & preces, & quam optime sperare.

Vale, Reverende vir, & amice charissime: Et reverendum vestrum Ministerium omne, imprimis veteranum Flinnerum, & D. Pappum, reverenter & officiose ex me saluta. Et sedulo pro nobis orate. Datæ raptim Haydelbergæ, in die Conversionis D. Pauli, ao. 77.

Tuus

Balth. Bidenbach.

CCXX.

**S** Transiit isthac Gryneus noster, sed propter comites te, ut arbitror, invisurus, celerius tamen, quam vellem, propter comites, qui ob sua negotia necessario properant. Nec scio, num viam isthac habiturus sit in reditu, quod ego maximopere cuperem, ut liceret tibi cum ipso familiariter conferre, quod cum fructu ad aedifica-

Zzz 3

tio

tionem te facturum mihi persuaserim, (si sit occasio). Ceterum qui mihi nuper casus contigerit, ex ipso cognosces, quo certè benigna DEI providentia manuque sum servatus misericorditer, & debeo eidem *gratias* persolvere. Quæ Lindavienfes ad nos dederint propter Ruppium, ex Grynæo intelliges. Hæc paucis nunc ad te, vir Reverende & charissime frater, scripsi, quia occupatus plura non potui. Saluta reverenter uxorem, filios & collegas omnes. Scripsi Basileæ, 21. Martii, Anno 77.

Sulcerus. tuus  
ex animo.

CCXXI.

*S. in Christo. Reverende & clarissime vir, & amice in  
Domino charissime:*

**P**odagræ cruciatu te liberatum, ex animo tibi gratulor; & Deum precor, ut hoc malum ita in te profligat, ne amplius recurat.

Illustrissimus Elector in itinere est, & spero C. E. ad tertium Aprilis diem huc appellere, secundo Nicro, posse. Interea nihil mutatum aut constitutum est in schola, sed expectatur exoptatus reditus, salutare consilium, & pium decretum Electoris. Multæ obversantur nobis difficultates, quas tamen Domini providentia, atq; optimi Electoris & matura & moderata consilia discutient & dissipabunt. Et quamvis non dubitem, filium tuum parentis auctoritatem secuturum, & postquam vocatus fuerit, abunde Illustrissimo Electori, eruditione, pietate & industria sese commendaturum, tamen si quid meæ commendationes poterunt, ipsi non deero: nec enim scholæ huic fidelem, quam navare potest, operam, neq; parenti hunc senectutis baculum invideo, sed potius ex animo gratulor. D. Jacobus Andræ in itinere quidem est, sed non ut patriam repetat, verum, ut familiam Lipsiâ Wittebergam transferat. Scripsit hac de re nuper admodum ad me, & credo hac hebdomada eum Wittebergam concessisse, ad scholam & ecclesiam recte constituendam. Crellius & Oberdorffer cedere jubentur. D. Polycarpo per impositionem manuum D. Jacobus, sic volente Electore, curam Ecclesiæ Wittebergenfis commendavit. Credo, virum pium & doctum tibi non esse ignotum: facit ipsum Dominus *proderet*.

Si verum esset, quod de D. D. Sulzero scribis, tristis nobis & acerbus esset hic casus: Sed ea die, qua literas tuas accepi D. D. Grynæus me hic salutans, affirmavit, conficta hæc esse & falsissima, se enim ante paucos dies Basilea discessisse Sulcero salvo & incolumi. Dominus hanc sapem imò murum contra vicinos adversarios quam longissime conservet. Prima die Martii, D. D. Jacobus, Chemnitius & Selneccerus Bergæ prope Magdeburgum convenerunt ad ponderanda judicia mul-

tarum